



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 1. Quomodo Imperium Turicum in Græciam perueraserit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

§. 6. *De Politiâ hodiernâ Græcorum.*

PARENT Turcæ, & à Saniacis Ottomanicis reguntur. Imperatori tributum quotannis in singula capita pensitant, & præterea liberos (quos Tributi vocant:) feliguntur autem robustissimi, & in præsentia omnes plerumque à parentibus offeruntur, uno tantum reseruato: ex iis sunt Genessari *les tanissaires*, militiae Turcæ robur. Ab hoc tamen liberorum tributo eximuntur Nauplienes, *ceux de Napoli en Roumanie*, Rhodij, Constantinopolitani, Bulgari, Hungari. Superant Græci multitudine Turcas, sed nullius animi sunt; permixti Græcis Albani paratiores sunt ad rebellionem; sed malè haetenus consilia sua texerunt, ut innuunt in Moreâ enatæ factiones, quibus sibi, & aliis Græcis perniciem fæpe accersunt.

## CAPVT II.

*De Turco-Græciâ, seu Imperio Turcico.*§. 1. *Quomodo Imperium Turcicum in Græciam peruerterit.*

**C**ALLIPOLIS, seu Gallipolis Thraciæ occupata primùm est ab Ottomanis Duce Amurato, seu Morato, quem Froisardus corruptissimè vocat *Laboraquin*. Euocati tum fuere Turcæ à rebellibus Orientalis Imperij, & usque adeò capti sunt regionis vberitate, & amœnitate, ut Imperatorem suum propè compulerint cum copiis in Græciam traicere; quod & præstitit traductis ex Asiam in Europam 60. millibus armatorum ope Genuensium, qui in magnam rei Christianæ perniciem luem istam in Thraciam transduxere. Amuratus ex Callipoli, Thraciam vniuersam depopulatus, Hadrianopolim, & Philippopolim cepit, & latè Imperium suum in Europam promouit. Successit ei filius Baizetes cognomento *Gilderun* hoc est Ceraunus, qui patris victorias extendisset deuictis ad Nicopolim Christianis, nisi Tamerlanes Tartarus hoc fulmen extinxisset: quo tempore res Mahumetanorum se habuerunt pessimè; donec Mahometus reparatis Turcicis copiis sedem Imperij ex urbe Prusiâ, *Bursa*, Hadrianopolim traspormeret.

reauit, & Christianos cum Imperatore Sigismundo deuicit. Eius filius Amurates Thraciam excursionibus bis depopulatus est, Venetis Theffalonicam eripuit; in Legato deuictus à Christianis, mox eos grandi clade ad Varnam attriuit, & sibi Bulgariam, & Albaniam ferè totas afferuit, ynà cum Moreæ parte maximâ. Sed Scanderbegus Epirota Albaniam recepit, & fortiter tutatus est; Veneti eius filio Mahumeto II. Moream eripuerunt, & magnis sumptibus, & labore Hexamilum munierunt, sed inde flagitosè deiecti sunt, Mahumetus maioribus animis Eubœam, Lemnum, Lesbum, Leucadem occupauit, Bossenam item, at demum Constantinopolim ipsam: in Tauricâ Chersonefo Caffam Genuensibus eripuit. Baiagethes II. Moldauiæ, seu Multauiæ partem obtinuit, Dyrrachium Carluiciis eripuit, Naupactum Christianis ademit, cum Methone, & Corone *Modon*, & *Coron*. Selimus Baiagethi secundi filius res suas potius in Asiâ quàm in Europâ promouit. Eius filius Solymanus, Belgradam cepit, magnam Hungariæ & Slaviæ partem inuasit; in Multauiâ ditionem suam promouit, sed à Viennâ repulsus est; Rhodum ad ditionem compulit, à Melitâ in suis Legatis repulsus est. Illius filius Selimus secundus Cyprum sceptro suo adiecit per Legatos suos; expelli tamē potuisset ex Europâ si Christiani vñtores ad Echinadas, vel Naupactum vñ victoriâ suâ nouissent. Sub Amurathe III. & Mahumete item tertio, & Acmete, in Hungariâ ancipiti marte plerumque decertatum est; ex quo Turcæ res suas parum, aut nihil promouerunt in Europam bellis Persicis distenti, aut otio torpescentes. Tamen hac ærate nostrâ resumunt animos, Cretam magnâ ex parte ceperunt, & vniuersis Insulis potentur nisi Christiani compositis litibus arma sua in hostem communem conuertant.

### §. 2. De aliquot Imperij Turcici Magistratibus.

#### NVM. I. De Beglierbego, Begleerby.

NOMEN hoc erat in vsu antequam Monarchia Turcica coalesceret, siquidem eius meminit Cedrenus, & hanc explicat ἀρχότες ἀρχότων Δομιν ουντορού, quia non tantum gregariis militibus, sed etiam præfectis imperabant. Prætor Græciæ sape citatus à Leunclauio, ait Beglierbegum respondere Stratopedar-